

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Disputatio Moralis, Qua Thema Paradoxon, De
Liberalitate Pauperum, In Per-Illustriad Albim Academia
Praeses M. Joannes Gothofredus Forbigerus, &
Respondens Joannes Christophorus Forbiger, Aurobaco ...**

Forbiger, Johann Gottfried

Vitebergae, [1701?]

VD18 12907553

[Disputatio Moralis, Qua Thema Paradoxon, De Liberalitate Pauperum, In
Per-Illustriad Albim Academia Praeses M. Joannes Gothofredus Forbigerus,
& Respondens Joannes Christophorus Forbiger, Aurobaco ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-15891



Προόμιον.

Vae praeter omnium opinionem sunt seu fiunt, illa Graecorum Scholae appellare consueverunt paradoxa, haec tunc in omnium gentium linguis & studiis cultioribus ita usitata, ut vix librum perlegere queas, ex quo non ingentem paradoxorum cumulum colligere possis. Saepe in nonnullorum sermonibus eas loquendi rationes reperies, quibus quid significetur, vix intelliges, si primoribus saltem, quod dicitur, labris has gustaveris, usque dum paulo curatius in tales inquisiveris: Et ejusmodi dictiones communiter Schematum paradoxorum nomine eruditus veniunt, de quibus, ut observavit sic dictum Forum Romanum, sub titulo Paradoxi, haec talia habet Rufinianus: Paradoxon sive hypomone, sustentatio & inopinatum. Hoc schema suspendit sensum, deinde subjicit aliquid contra expectationem auditoris, sive magnum, sive minus, & ideo sustentatio vel inopinatum dicitur. Qui de puriori Latinitate nunquam non sollicitus fuit, Latinorum omnium eloquentissimus, CICERO, vocabulum paradoxorum per admirabilia expressit, quando L. IV. de Finibus inquit: Haec paradoxa illi, (loquitur autem de Graecis) nos admirabilia dicamus. Id. vid. de paradoxis. Horum admirabilium seu paradoxorum varia varii generis in variis auctoribus subinde obvenire exempla Tibi, Benevole Lector, firmiter velim persuadeas. Instituti ratio non patitur, ut in praesenti de iis prolixiores simus; alias enim vel centum, & quod excurrit, exempla ex totius Philologiae, Philosophiae & Divinioris Theologiae latissimo campo huc afferre facillimi esset negotii: Vela igitur contrahebimus, unum illud itemque & alterum jam modo proposituri. In Philologia imprimis ea eminent paradoxa, quae, licet saepius vocibus absol-

vantur, non heri vel hodie excogitatis, sed ex purioris Latinitatis fontibus originem suam ducentibus, nihilominus admirabilia videntur, iis nonnunquam, qui vel nondum in Romanae eloquentiae sacra intimius penetrarunt, vel, quod crebrius fieri intelliges, paulo emunctioris naris se esse infeliciter sibi persuasent. Quorsum non abs re referes ea etiam vocabula, quae non quidem ubique occurrunt, interim tamen non ideo statim rejicienda & ad orcum usque damnanda, ut sunt, v.g. *Difficiliter*, qua voce CICERO; *Decrementum*, qua GELLIUS; *Commorare* (in Activo) qua PLINIUS Major, disertissimus Historiae naturalis auctor, (ab Excellentissimo CELLARIO in Curis suis posterioribus ad saeculum argenteum relatus,) nisi fuere. Quae talia haud abs re cum BALTHASARE STOLBERGIO vocabis $\sigma\lambda\omicron\upsilon\kappa\omicron\Phi\alpha\upsilon\eta$ contradistincta Soloecismis, qui Exercit. VII. de Soloecismis & Barbarismis, Graecae Novi Foederis Dictioni falso tributis, habuit, de quibus, Soloecismis, modo apparenter talibus, aliqua etiam est fatus M. A. MURETUS, Lib. I, Epist. XXXIII, pag. m. 477. Quae in S. Theologia occurrunt paradoxa seu admirabilia, ea pluribus evolvere nostri non est fori, ne tamen & de his Praefaminis loco nihil plane dixisse videamur, ad instar speciminis & exempli jure merito commendamus solidam & eruditissimam Dissertationem, quam Magnificus noster Dominus D. HANNECKENIUS de Beatitudine Paradoxa fidelium Christianorum anno 99. superioris Saeculi conscripsit, & qui nuper modo orbem eruditum illustrarunt, *Menses, Scientiae Theologicae thesaurum exhibentes*, Mens. Julii, p. 225, ubi pariter permulta admirabilia, Theologis Mysticis & Quietistis imprimis usitata, invenies. Nos jam in eo sumus, ut pariter ejusmodi quoddam Paradoxon, ad saniores Philosophiam merito reponendum, paulo uberius pro viribus nostris exiguis evolvamur, Pauperum scilicet Liberalitatem; cui labori, ut summum Numera Divinum gratiose adesse velit, est, quod ab ipso votis omnibus submis-
se contendimus!

§. I. Tres virtutum moralium classes, ab accuratioribus Moralium Doctoribus in Systematibus suis approbatae, suo nituntur fundamento. Cum enim quilibet moraliter, i. e. secundum legem & rectam rationem agens in suis officiis & actionibus aut respiciat DEUM, aut semetipsum, aut proximum, non poterat non fieri, quin virtutum moralium classis alia ad istum, alia ad illum, alia ad hunc referatur. Aliquo abhinc tempore unam ex posterioris generis virtutibus considerationi subjecimus; Jam inverso ordine processuri prolixius paulo sumus contemplaturi eam, quae ad nos ipsos est referenda, virtutem, Liberalitatem nimirum, in quantum ea vel a paupere etiam potest exerceri.

§. II. Hoc ut eo felicius expediamus, ab ordine & scopo jubemur, ut, quae in genere ad doctrinam de liberalitate spectare videbuntur, luculenter, & ea, qua Disputationes conscribere soliti sunt Superiores, methodo, in praesenti exponamus. Nonnulli in scirpo nodum quaerentes, quando de Liberalitatis derivatione dispiciunt, fugatorum instar & nunc mente quasi captorum militum nescio ad quarum gentium castra se perperam conferunt, putantes, esse Liberalitatem deducendam a Grajorum vocabulo *λοιβής*, ideo, ut, quemadmodum libatio fiat sua sponte, ita nec minus a virtute Liberalitatis omnis exulare debeat coactio. Vid. in primis EVENIUS Disput. VII de Liberal. Theor. II, §. 2; Sed bone DEUS! quam libere Liberalitatis derivationem detorquent a genuina ejus origine. Quae enim necessitas nos, quaeeso, cogit, ut saltum faciamus ad aliorum linguas & doctrinas, cum vel in ipsa Latinitate is nobis aperiatur, fons, qui profecto ipsam nominis naturam egregie & luculenter ob oculos ponat? Haudquaquam igitur nobis errare videmur, si illorum partes defendamus, qui Liberalitatem a voce Liberi, *eines Freyen* / derivandam esse autu-

mant, cum ille, qui liberalem se esse declarare voluerit, non fordido & tenaci, sed ingenuo & libero animo esse debeat. Conf. CAMERARIUM in *Arist. Eth. ad Nic. Lib. IV. cap. 1. pag. 157. &c.*

§. III. De duplici acceptione Liberalitatis, (quam nonnulli Beneficentiam dicunt) qua alia dicitur esse generalis, prouti Magnificentiam quoque includit, alia specialis, in quantum huic contradistinguitur, nihil jam modo propter materiae amplitudinem adjiciemus; Quin potius ad rem ipsam, evolutio nomine, secus ac Cartesiani, de re primum, de nomine post solliciti, inoffenso pede progrediemur. Sed surdo forsan narrarem fabulam, si pluribus evincere anniteremur, quod sit Liberalitas: Revocet tantum quis sub examen suam ipsius naturam, videbit sane, se vel amore avaritiae, vel prodigalitati mirifice capi. Quod si hoc concesserit, non poterit non asserere, dari quoque his vitiis oppositam virtutem, praesenti nostrae tractationi expositam. Jam ad ipsam Definitionem realem, Liberalitatis, Reipublicae illius Patronae, qua inopia pauperum sublevatur, nominis fama acquiritur, favor omnium conciliatur, naturam evoluturam.

§ IV. Quid profert JOANNES HEINRICUS ALSTEDIUS, Philosophus alias vel a nostratibus non ultimus ductus? Definit ille *System. Ethici cap. XVI. Liberalitatem* ita, qua nimirum suppeditarem ea, quae ad vitae animalis sustentationem pertinerent. Quam aliena vero haec sunt ab ipsa liberalitatis indole? Consequuntur quidem haec nostram virtutem, quae crepat Alstedius, sed non ipsam rei essentiam ingrediuntur, multo minus eam omnibus numeris absolvunt. Liberalitas, qua DEO similes evadimus, ne quidem exerceri posset, si minus de eo solliciti essemus, quod possumus erogare. Equidem non negandum, hanc nostram virtutem primario circa dandum occupatam esse; At vero,
quid

quid poteris dare, si nihil acquisiveris? Versatur itaque Liberalitas non minus circa acquisitionem, quam erogationem, quod perperam neglexit Alstedius. Accedit, quod Objectum personale, erga quod Liberalitas exercenda, admodum & nimis laxe in Definitione Alstediana proponatur: Liberales enim sumus & esse debemus non adversus animalia, utcunque considerata, sed rationalia, homines tantum, ut bene observavit LAURENTIUS BEYERCINCK in magno Theatro vitae humanae, in Litera L. sub tit. Liberalitatis, pag. 87. Inquis: Hac ratione nos admodum injurios esse in tantum Philosophum, qui tamen egregie sese explicuerit in praecedentibus Systematibus Ethicis prioribus in Capp. de Liberalitate: Verum Resp. misere satis se explicuisse, ut videre est ex inspectione. Et, si vel maxime hoc concefferimus, num ergo per hoc fundamentum a tali errore poterit liberari? Quasi vero accuratus Philosophus non semper in rebus, quae ferme ad prima fundamenta pertinent, accurate procedere teneatur! Et qua methodo hic ipse Vir usus fuit in definitione, eam & observavit in divisione, quando loc. cit. Liberalitatem aliam facit sumtuarum & munerariam, quae sumtus, & munera det; aliam vero tractatoriam & convivatoriam, quae circa convivia versetur. Si a specialioribus & singularibus objectis velimus rationes dividendi petere, haberemus sane innumeras & infinitas divisiones, a quibus tamen vel ipsam naturam abhorrere animadverterunt Philosophi. Conf. B. DONATI Pnevmat., spec. Theol. cap. III, §. 21. seqq. Hac ratione possemus respectu objecti Analogici, quod bona animi sunt, ut mox constabit, etiam facere Liberalitatem eruditam, quae circa eruditionem versetur &c. quod dictu quodammodo inconveniens esset.

§. V. No-

§. V. Nolumus plures diversorum Doctorum definitiones proferre, ne operam & chartam inutilibus controversiis & inanibus verbis perdere velle videamur. Calculum adjicimus isti definitioni, quam in privatis Scholis fideliter nobis inculcavit Vir in judicando acerrimus, Excellentissimus Dn. CHRISTIANUS ROEHRENSEE, Patronus, Evergeta & Praeceptor noster ad cineres usque pio animo venerandus; Ea enim ob perspicuitatem &, quo gaudet, maximum acumen se facile omnibus commendat. Est igitur, *Liberalitas virtus moralis, ad agentem seu seipsum relata, dirigens actiones morales in facultatum mediocrium acquisitione & erogatione ad L. N. & rectam rationem.* Conf. Eth. ejus MSC. Part. IV, cap. V, Clas. II, Art. V. Ut definitio eo plenius intelligatur, hoc totum necesse est resolvamus in suas partes. Notamus igitur ante omnia *Genus remotum* quod h. l. est virtus: *Nam bene uti iis,* recte allegat ex Savon: HENRICUS VELSTENIUS Disput. IX, Thes. I, §. 6. *quibus abuti possimus, ad virtutem pertinet. Cum ergo aliquando uti bujusmodi rebus pertineat ad Liberalitatem, sequitur, quod Liberalitas sit virtus, & ejus actus sit, uti pecuniis &c.* Nos praeterea urgemus Definitionem virtutis, in genere consideratae, &, quae Liberalitati opponuntur, vitia, de quibus infra breviter agemus, & sic res omnis erit in vado; quod Liberalitas sit virtus, luculenter patebit. *Genus proximum & strictius* absolvitur per distinctas virtutum moralium classes. Vid. supra §. I. Quod si enim quis actiones suas morales ad propriam conservationem & sui perfectionem in ordine ad summam felicitatem dirigit, non utique exercet virtutem aut ad DEUM, aut ad proximum, sed ad seipsum, ceu agentem, relata. Jam vero Liberalitas actiones suas ad agentis conservationem & summam felicitatem perficit. Quid ergo

ergo nobis relinquitur? Liberalitatem esse virtutem, ad agentem relatam.

§. VI. Altera pars adductae Definitionis, *Differentia* scilicet, latet tum in *Objecto*, tum in *Forma*. Quemadmodum autem eum in finem acquirimus virtutes, ut pravos nostros affectus & inde resultantes motus & appetitus temperemus & eosdem, si mali fiant, corrigamus, quod jamdudum cum aliis confessus est NICOLAUS REUSNERUS, ex antiquioribus quidem unus, sed propterea non spernendus, Ethices Philosophicae & Christianae cap. XIV. & XV, p. m. 22. & 23; Ita quoque virtus Liberalitatis eo annitur, ut cupiditati & amori in facultates mediocres certi ponantur limites. Hac enim ratione egregie suo defuncta est officio circa *Objectum internum & proximum*; Quod vero ad *Objectum externum & remotum* attinet, auctor est CHRISTIANUS LIEBENTHALIUS Colleg. Ethic. Exercit. IX, p. m. 88, ut, si accurate rem exponere velimus, subdividamus hoc ipsum *Objectum* denuo, ita quidem, ut aliud constituamus; *verum* seu *proprie dictum*, aliud vero *ἀνάλογον* seu *analogicum*. Non licet nobis jam esse tam felicibus, ut prolixè declaremus varias circa *objectum externum verum* seu *proprie dictum*, Auctorum sententias. Coryphaeus ille Philosophorum, ARISTOTELES Lib. IV. Eth. Nicom. cap. I. explicat Liberalitatem per *μεσότην περὶ χρήματα*, quomodo *objectum* in genere Liberalitati constituit *τὰ χρήματα*, quod vocabulum Commentatores in Philosophum ita interpretantur, ut *primario intelligatur moneta sive pecunia numerata, secundario omne aliud, cujus existimationem nummus metitur, & quicquid in commerciis ad vitae civilis usum commutari potest ac solet. Objectum autem Analogicum subincludit ea bona, quae partim ad animum referuntur, partim vero ad corpus, & tamen ita comparata sunt, ut*

B

pre-

*pretio & remuneratione digna sint, etiamsi non aequae, ut alia xεν
ματα, in permutationem pervenire possint.* Plura vide de his in
auctoribus haecenus citatis, inprimis vero in modo allegato
Liebenthalen/ qui & exempla & rationem appellandi de
Objecto analogico ex voto suppeditabit.

§. VII. FRANCISCUS PICCOLOMINEUS, dum Gra-
du, IV, cap. XLIX. Liberalitati laudes debitas tribuere stu-
det, ita loquitur: Si charitas Theologicarum virtutum est
princeps, Liberalitas, quae ex moralibus ei est simillima,
ceteris jure optimo praestare videtur: & praesertim, quia
nulla actione proximius ad DEUM accedimus, eique simili-
ores reddimur, quam si liberaliter aliis opem ferimus. Haec
est ea virtus &c. Plura vide l. c; ubi multa eaque notatu di-
gnissima pro Liberalitate offert encomia. Digna profecto
haec virtus, quae ulterius exponatur! Multas enim, ut CI-
CERO Lib. I. offic. §. 18. differit, habet cautiones. Viden-
dum enim est primo, ne obsit benignitas, & iis ipsis, quibus
benigne videbitur fieri & ceteris. Deinde ne major benigni-
tas sit, quam facultates; Tum, ut pro dignitate cuique tribu-
atur. Non dissentiunt ab hoc illi, qui scholas Aristotelis se-
quuntur, quorum vestigia in praesenti legemus, ideo, quan-
doquidem Philosophum in hoc genere studiorum inter anti-
quiores inprimis eminere satis constat. Et quamvis vel ma-
xime innumeras hic adduceremus laudes, quae ad digni-
tatem Liberalitatis aliquid conferre poterant, id quod non
negandum; Eo ipso tamen non nisi oleum operamque per-
dere videremur, cum hoc ipso modo aliorum rivulis agros
nostros irrigaremus. Quod si quis teneatur desiderio, tales
laudes videndi, commendamus inprimis JOSEPHI LAN-
GII opus praeclarum, dictum Novissima Polyanthea, vel si
vacat, citatum opus spississimum LAUR. BEYERLINCKI.
§. IIX.

§. IIX. Quod alteram Differentiae specificae partem
 constituit, *Formam* appellavimus, quae, si secundum Philo-
 sophum procedere velis, consistit & in λήψεις & in δόσει i.e. in ac-
 quisitione seu acceptione, & datione seu erogatione, his acti-
 bus ad L.N. & rectam rationem commensuratis. Nec mirum
 cupiam esse debet, quare primum locum τῇ λήψει, ultimum
 vero τῇ δόσει tribuerimus. Licet enim non negemus, quin
 potius ambabus, ut dicitur, manibus largiamur, liberalita-
 tis potius esse dare, quam accipere, uti haud inconsulto de-
 fendit WENDELINUS in Philosophiae Moral. Lib. I. cap.
 XXV, §. 23; Naturae tamen convenientius est, si prius ex-
 ponatur id, de quo postea erogare debeas, scilicet acquiren-
 dum, quam illud, quod erogare debes, si nondum habeas.
 Circa λήψιν & acquisitionem consideremus (1) *Personam acqui-*
rentem; ubi non poteris liberales appellare illos, qui vel ex
 nimia avaritia, tenacitate & insatiabili pecuniarum amore,
 vel etiam ex petulantia quadam τὰ χεήματα sibi comparare,
 annituntur; Multo magis vere liberalis est, qui ob subse-
 cuturum usum, ad se & proximum inde resultantem, ad bo-
 na comparanda adspirat. (2) *Causas administras & medias*,
 quibus bona possint acquiri & acquisita augeri. Per illas non
 tantum intelligas velim Liberalitatis amore captos, sed
 & eos, qui his servitia praestant: quorsum non abs re refe-
 ras servos, mercenarios, oeconomos, &c; His subscribi-
 mut Divinam benedictionem, cum assiduis hominum labo-
 ribus conjunctam. Iis enim instructus mediis & ministris,
 qui χεήματα acquirere satagit, odio flagrabit plus quam Va-
 tiniano in illegitimos illos, bona acquirendi modos, quales
 sunt commutationes istae invitae, de quibus videatur do-
 ctrina Ethicorum de Justitia, inprimis JOANN. CONRA-

DI DURRII in Institut. Eth. & ADRIANI HEEREBOOR-
DII in Meletem. Philos. Ethinc non difficulter colligere
licet (3) *acquirendi conditionem*: Non enim sine summa in-
juria istum appellaveris liberalem, qui vel furto clandesti-
no, vel violento, vel etiam alio quocunque titulo injusto
partum acquirere non erubescat. (4) *Tempus & locum acqui-
rendi*: Etenim honesto & legitimo modo aliquid sibi acqui-
rere, probi non minus, quam honesti viri esse videtur; Sed
si velis vel in die, vel in loco, Divino Numini sacrato, ope-
ram adhibere, qua possis aliquid Tibi comparare, oppido
omnis evanescit honestas & bonitas; non jure salutaberis
liberalis. (5) *Finem acquirendi*. Quicumque liberalis no-
men reportare & defendere voluerit, non eum in finem re-
bus suis quid addere studeat, ut Croesi instar numerum pe-
cuniarum & thesaurorum possideat, numerum ferme ex-
cedentium neminique proficientium; sed potius ea pro-
pter, quo sibimetipsi, suis & aliis de iis prospicere possit,
quae ad honestam vitae rationem aliquid conferre queant.
Vid. VELSTENIUS loc. cit.

§. IX. Ut vero legitime acquisita *χρήματα* seu bona recte
erogentur, quaedam pariter sunt observanda monita, id
quod si fiet, omnis facile poterit laude liberalis exornari.
Attendamus igitur (1) *ad personam dantis*. Haec, non quae fa-
cultates suas excedunt, in homines conferat: Cave enim,
inquit SENECA, Lib. de Beneficiis, ne beneficium majus sit
facultate tua; Interea merito sit eo animo, ut minime, quae
dare vult, coacte erogat, aut, quae dedit, nullo non tem-
pore ad nauseam usque ad animum proximi revocet;
ut potius in id allaboret sedulo, ut animus sit promptus &
pronus ad beneficendum, facileque, quae liberaliter in ali-
quem contulit beneficia, oblivioni tradat. (2) *Ad perso-
nam*

nam accipientis. Digni in primis ad beneficia, ex liberalitate ortum trahentia, admoveantur, &, quae ex Justitiae praelcripto debentur, conferantur. Recte enim ex Solone observavit VICTORINUS STRIGELIUS in notis ad Epitomen Philosophiae Moralis Philippi Melanchthonis, p. m. 528, quod *inopiae succurri oporteat, non ignaviam instrui viatico*, quod dieterium ita illustravit jam nominatus Strigelius: *Quasi dicat; pauperes vere egentes sunt liberaliter juvandi & fovendi, sustentandi, sed ignavia robustorum & valentium mendicorum non est viatico instruenda.* (3) Ad qualitatem dandi seu conditionem illius, quod debet erogari; Hoc enim non sine causa fieri debet, ne exinde inhonesta plane & minime laudanda profusio vixque tolerandum damnum oriatur: Neque etiam plane negligi, ne postea criminis avaritiae jure quodam accusari possimus. Paucis: Sit modus in rebus, sint certi denique fines. (4) In tempore & loco modo id observetur, ne vel tarde nimis vel publice τὰ χεῖματα nostra erogemus: Etenim tum demum recte poterimus egestatem proximi sublevare, ita liberalium nomina sumus reportaturi. (5) Denique circa *Finem* attendamus, ut ne per nostra bona eroganda vel commodum vel lucrum, vel ostentationem &c. sed potius honestatem acquirere studeamus.

§. X. Haud inficiamur, plura & circa acquisitionem & circa erogationem bonorum illustrationis ergo posse addi monita; Verum, cum ea prolixius ab aliis, jamjam sint exposita, nolumus ea huc transcribere, cum & in primis Ipatii, nobis a Superioribus benevole concessi, ratio id non patiatur. Brevisimis tantum adjicimus, quod Liberalitati ratione actus acquirendi in excessu opponatur Rapacitas, in defectu improvida negligentia; Sed ratione actus erogandi in excessu Profusio, in defectu for-

didā tenacitas, quorum vitiorum singulorum, si expetas Definitiones, adeas quaeſo Excellentissimi noſtri Praeceptoris Colleg. Ethic. MSC. l. c., quod voto Tuo exaſe ſatisfaciet.

§. XI. Nunc iis, quae neceſſaria erant cognitu, quodammodo evolutis, facilius erit ea, quae ad Liberalitatem Pauperum ſpectare videbuntur, paulo clarius illuſtrare. Eſt vero *Pauper ille, qui tenuis fortunae eſt, cui, cum neceſſaria non deſint plane, nihil tamen ſuper eſt atque abundat.* Quidam differentiam quaerunt inter pauperem & egenum, ita quidem ut pauperem conſtituant divitem inter & egenū medium, quam ſuo gaudere fundamento nos non plane negamus; at enim vero iſtud diſcrimen jam non attendamus, adeo, ut pauperem aequae ac egenum pari paſſu ambulare cenſeamus. De talibus itaque *pauperibus* eam movent quaestionem, & quidem paradoxon: *Utrum Liberalitatem poſſint exercere?* Quaestio ſatis ardua, eam tamen haecenus fortuna paſſa, ut vel in pauciſſimorum Ethicorum libris Systematicis excuſſam videas! Habet quaedam, quod confitemur, WENDELINUS, habet aliqua Liebenthal / ceteros tacemus; Sed utrum deſiderio legentium ex omni parte ſatisfaciant, id horum iudicio relinquimus. Dabimus itaque operam ſedulo, ut, ſi quid afferre queamus, quod tam illuſtri quaestioni aliquam affundere poſſit lucem, nihil facile praetermittamus. Si imperitum vulgus excipiamus, vix aliquem eſſe crediderimus ex ſapientioribus, qui negativam quaestiti ſententiam defendere queat. Trita eſt Reſponſio inter Doctores, quod pauperes, ſi non effectū, affectu tamen poſſint eſſe liberales; verum huic alias pro affirmativa adjungimus rationes, ni fallor, evicturas, pauperes etiam effectū Liberalitatem exercere. Deſumptae ſunt autem (i.) *ex ſana ratione*: Ex primis moralibus principiis huc notum eſt, omnem virtutem eſſe animi habitum.

Li.

Liberalitas autem est virtus. Quis ergo pauperem liberalem esse posse negaverit? Accedit, quod, etsi vel maxime pauper de pecuniis suis parum possit erogare, si animus prolixus ad beneficiendum adsit, utique pauper liberalitatem exercebit in majori perfectione prae illo, qui *χρηματα* sua absque affectu & coacte in proximum confert. Unde optime profecto judicavit ARISTOTELES, quando loco supra all. inquit: *Non in multitudine rerum, quae donantur, Liberalitas est, sed in habitu donantis, qui quidem pro facultatibus donat. Nihil quoque prohibet liberaliorem esse, qui minora donat, si de minoribus donet.* Quid dicam de eo, quod vitia, Liberalitati opposita, existant in pauperibus? Jam vero vitia sunt habitus privati, absentiam cujusdam rei inferens in eo subjecto, quod aptum erat ad aliquid recipiendum. Ergo si pauper vitia haec potest exercere, quidni & liberalitatem exercebit? (2) *Ex sententiis Sapientum*: Quid differit Gregorius M. Papa? Nunquam, putat Lib. XIX. Moral., esse vacuum manum a munere, si arca cordis repleta sit bona voluntate. Inter Philosophantes imprimis CICERO eminet, quem ad instar omnium nominare sufficiat, prolixè de hac re agentem Lib. II, §. 40, 41. seqq. (3) *Ex exemplis Sacris, Ecclesiasticis, & Profanis*. Male, quin imo pessime obiisse officium suum alias dicitur, qui, dum quid firmis rationibus probare tenetur, ad exempla confugit, quae tantum illustrare communis omnium est sententia. Verum enim vero, si quis primum firmissimas rationes adductas post cum exemplis, ex fide dignissimis probatisq; auctoribus desumptis, conjungit, non video, quo nomine, imprimis in moralibus, rejici possint? Audiamus igitur prae ceteris infallibile & illustre Judicium Salvatoris nostri, quod tulit Luc. XXI, 3. de quaestione nostra! Cum eo tempore gazophylacium muneribus erat instruendum, ii, qui Pharisaeorum placitis & doctrinis subscribebant, magnam

gnam divitiarum partē in illud conferebant; Sed accedente vidua quadā paupercula, unum in gazophylacium teruncium conjicente, hanc sane pharisaeis omnib9, ut liberaliorem his, jure quodam profert. Historiae, quae Ecclesiae statum nobis ob oculos ponunt, nos faciunt certiores de Nolanae urbis Episcopo, Paulino, quod, cum urbs praedicta fuerit debellata a Vandalis & cives capti, plurimos ab hostibus emerit, pecunia pro eis soluta, donec ita omnem suam substantiam consumserit. Et, quod porro ut verissimum defendunt, cum nihil ei superesset, & vidua quaedam *λύτρον* pro filio capto ab eo peteret, ipse pro captivo hosti tradidit, & viduae filium restituit. Vid. Gregor. in vita Paulini. Plura conferas exempla pauperum, v.g. de Epaminonda in Erasmo L.V, Apophth. Quae singula, si probe combinentur, exempla, quid aliud exinde evincitur, quam assertum nostrum: Pauperes posse Liberalitatem exercere.

§. XII. Quod si objectum Liberalitatis analogicum, bona nimirum animi consideres, ecquis quae so pauperib9 poterit saepe esse liberalior? Per multos enim reperias, qui licet a fortuna secunda divitiis non liberaliter fuerint instructi, eas tamen animi dotes habuerint, ut bono publico multum parare potuerint comodi. Quid enim multis? Non desunt exempla, qui, licet divitiarum hujus mundi potuerint reddi participes, eas tamen ne quidē expetierint, quod exemplo SOCRATIS demonstrari potest, qui nullis adjutus fortunae bonis, tamen erga discipulos liberalissimus fuit, communicando iis bona animi Conf. LAERTIUS. Plura addere non libet, quae e. c. spectare poterant ad Objectiones, quae moveri poterant, & quaestionem, hactenus evoluta non minorem: Utrum pauper possit esse magnificus? cum haec a scopo quodammodo videatur esse aliena.

Gratias itaque DEO immortalis pro viribus, nobis collatis, actis potest hic esse

F I N I S.